

coelestem Academiam e Schola nostra à sapientissimo DEO , cuius  
 viae sunt imperuestigabiles, translatus fit, REVERENDISSIMA  
 ATQVE ILLVSTRISSIMA PRINCEPS ABBATISSA  
 AC DOMINA NOSTRA, qua est clementia , suarum par-  
 tium esse duxit , eò animi vires intendere , vt vacanti Rectoris  
 officio pius iterum ac eruditus Vir praeficeretur , hanc non exigui  
 momenti rem probe perpendit , cum Dominis Praeside & Asses-  
 soribus Consistorii sui de ea consultauit, tandemque decreuit, vt  
 in Ipsius locum Dn. M. Samuel Schmidius surrogaretur ,  
 Schmidio sufficeretur Dn. Gregorius Lehmannus, Lehman-  
 no succederet Dn. M. Ioannes Fridericus Meisnerus , Meis-  
 neri sedi admoueretur Dn. Victor Werkmeister, Werkmei-  
 steri autem spartam Dn. Iacobus Hoffmann adornaret , illae-  
 que Personae omnes hoc ipso die solennibus & consuetis ritibus in-  
 truduae classibus suis sisterentur. Tuae igitur fidei, DN. M.  
**SAMVEL SCHMIDI**, in nomine Sacro Sanctae & indiui-  
 duae Trinitatis, post hunc autem Trinunum **DEVM**, Nomine &  
*Autoritate Reuerendissimae & Illustrissimae Principis ac*  
**DOMINAE ANNAE SOPHIAE**, Comitis  
 Palatinae ad Rhenum , Ducis Bauariae , Imperialis ac li-  
 berae huius Dioceſeos Abbatissae, Comitis in Veldenz &  
 Spanheim, Principis & Dominae nostrae Clementissimae,  
 Rectoris, Tuae vero, Dn. Lehmanne, ConRectoris, Tuae,  
 Domine M. Meisnere, quoad Graecas Lectiones Tertiae, quoad  
 Graecas & Latinas simul Quartae, Tuae, Dn. Werkmeister,  
 Octauae, & Tuae, Dn. Hoffmann, Nonae Classium officia com-  
 missa sunto, Vosque in istis, modo, quo fieri potest , optimo confir-  
 mati estote , addito a Principe ac Domina nostra mandato se-  
 verissimo , vt ante omnia pietatem colatis, talesque Vos , unde omni-  
 um Virtutum exempla peti possunt , exhibeatis , omnium discipulo-  
 rum oculos in Vos coniectos arbitrantes, Vosque quasi in aliquo orbis  
 Theatro versari , existimantes , nullum tempus dimittatis, neque  
 diurnum neque nocturnum, quin, de dextra discipulorum informatio-  
 ne quid cogitandum sit, cogitetis, & quod agendum sit, non modo  
 non recusetis, sed appetatis etiam & deposcatis, nec maledicatis, nec  
 scismaticis Vos inuicem laceſſatis aut laceretis, nec vitiosa aemula-  
 tione, quae riualitati ſimilis est, Vos aemuleminī, ſed fraternalm po-  
 tius amicitiam colatis, & alter alterius honori velificetur. Disci-  
 plina ſcholastica nec nimis laxa & remissa, nec nimis intensa, rigida  
 & liberalibus ingenii, quae non ſilice nata ſunt, minus accommoda-  
 esto. Sicut enim illa effrenos & diſſolutos : ita haec ſtupidos &  
 de-